



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

LXXIV. De corruptione hominum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

utrumque sit una & simplicissima mente. Itaque semel locutus est Deus: quia unum genuit Verbum. Cæterum nos per unum verbum duo hæc audimus sive sapimus, *quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Atis quidem penitus insipiens est, cui nec timorem Deus sapit, nec amorem. Discat quantum vult; ego sapientem non dixerim, dum nec timebit nec diliget Deum. Quomodo enim dixerimus in sapientia consummatum, quem video nec initiatum? Nam *initium sapientia timor Domini est*: consummatio amor; media sibi vendicat spes. Cui ergo nec justitiam sapit Deus per timorem, nec misericordiam per amorem: is planè dicit *in corde suo, non est Deus.* Deum enim non putat, quem nec justum, nec pium reputat.

Psal. 110. b.
Ecli. 1. &
Prov. 1. b
*Insipiens est, cui:
nec timorem,
nec amorem
Deus sapit.*

S E R M O LXXIV.

De corruptione hominum.

Psal. 13. &
52. a*
*Anima cor-
ruptio triplex:*

*Corporis qua-
druplex.*

*Elementa in
quatuor corpo-
ris partibus
singulariter vi-
gentia.*

*Hominum qua-
tuor sortes, qua-
rum una san-
tum facit bo-
num.*

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Habet anima corruptionem suam, habet & corpus suam. Corruptio animæ triperita est; quadriperita est corporis. Corpus siquidem constat ex quatuor elementis. Anima vero triplici vi subsistit. Est enim rationalis, concupiscibilis, irascibilis. Rationalem, cujus sanitas est cognitio veritatis, corrumpit superbia. Corrupta autem fallitur duobus modis: in cognitione sui, & cognitione Dei. Concupiscentiam corrumpit vana gloria, iram invidia. Corruptio corporis dicitur abominatio, & fit quatuor modis, secundum quatuor elementa ex quibus constat. Quatuor enim sunt quæ corpus corrumpunt, curiositas, loquacitas, crudelitas, voluptas. Sunt autem quatuor partes corporis, in quibus singulis maximè vigent singula elementa. Nam in oculis est ignis: in lingua quæ vocem format, aer: in manibus quarum propriè tactus est, terra: in membris genitalibus, aqua. Has quatuor partes corrumpit illa quadriperita pestis. Oculos scilicet curiositas; linguam loquacitas; manus crudelitas, genitalia voluptas. Sic fiunt homines corrupti & abominabiles, corrupti in anima, abominabiles in corpore; corrupti coram Deo, abominabiles coram hominibus. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Quatuor genera sunt hominum, quorum omnium nullam est quod faciat bonum nisi unum. Quidam enim sunt qui Deum nec intelligunt nec requirunt, & hi mortui sunt. Alii intelligunt quidem, sed non requirunt, & hi impii sunt. Alii requirunt, non autem intelligunt: & hi fatui sunt. Alii vero & intelligunt, & requirunt: & hi sancti sunt. De quibus solis dici potest, quia ipsi sunt qui faciunt bonum.

S E R M O LXXV.

De poenitentia in mortem non differenda.

Mal-